



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

33. De veneratione catenarum, & gladij Principis Apostolorum Petri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

*S. Greg. Tur.* tis sui virtus ab hoc contagio liberaret, clerici  
adhuc pueri cum se futurum: nec prorsus moraretur, si de-  
beratur à fe- precatio obtineret effectum. Hæc effatus, fe-  
bre per *S. Il-* sit protinus discedere febrē: vocatoq; puero  
lidium. domum se reportari deposcit. Cumque in-  
cubitu, vbi tunc sui epulabantur, fuisset illu-  
tus, erumpente è naribus sanguinis copia, la-  
bris simul cruorq; defluxit. Quod merito  
beati confessoris præstitum, habetur probu-  
tum. Sed & nuper venerandi Comitis Ieremi-  
cū in diuturna cecitate resideret, celebra-  
vigilijs, sanus abscessit.

*D. Ioannes Chrysostomus in sermone de oratione catenarum, & gladij principis Apostolorum Petri Habetur Tomo 4. Caleni Julij Laurent. Suri, ex Simeone Metaphraste.*

## C A P. X X X I I I.

*Nota que hic tribuat S. Petro Chrysof.*

**P**etrus Apostolorum firmamentum, & orbis terrarum miraculum, Ecclesie iustitiam, discipulorum decus, & eorum, qui recte sentiunt, ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cœlestis, Trinitatis preciosissimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honestè viuentium ductor, rectè currendum propugnator, omni cœlesti & humana laude, omni præconio dignissimus. Cuius

umbra & linteï morbos profugabant, certè ca- *Afor. 5.*  
 tenæ, quæ venerandum Apostoli corpus atti- *Catena S. Pe-*  
 gerunt, quantò propiorem tactum habuerūt, *tri venerãda*  
 tantò abundantiorè miraculorū vim partici- *o earū mira-*  
 parunt: catenæ, inquam, illæ omninò veneran- *præconia.*  
 dæ ac preciosæ, quæ Apostolicum illud ac bea-  
 tum corpus colligarunt, quæ manus illas mi-  
 raculorum effectrices adstrinxerunt, quæ di-  
 uinagratiâ ab ipsis repletæ sunt, ex quibus mi-  
 racula abundè scaturiunt, quæ ægrotos homi-  
 nes à morbis liberant, quæ homines illos fan-  
 ctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt: à  
 quibus animarum maculæ mystico quodam  
 modo expurgantur, & morbida influentiâ re-  
 primuntur, quæ denique in aëream celsitatem  
 extensæ, & vsque ad cœlos ipsos peruenien-  
 tes, à Domino illo & diuino solio, tanquam  
 ab ancora quadam, extenduntur. Has catenas *Dæmones il-*  
 potentiârum, quæ à Deo ipso defecerunt, prin- *las timent.*  
 cept exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac  
 multo cum timore illas subterfugiens com-  
 primitur. Has aërea spirituum multitudo metu-  
 ens ac tremens, iaculisque inde immisis per-  
 cussa, longius profugatur. Non enim ferre po-  
 test spiritus sancti gratiam, has ipsas catenas  
 obumbrantem, neque scintillas ex diuino il-  
 larum igne exilientes sustinet: sed ab ipsis in-  
 cenditur atque comburitur. Has composuit  
 Dei patris verbum, eiusdè æternitatis & prin-  
 cipij particeps, vt eius de Deo confessionis  
 præmium essent. Illas ignitas reddidit carbo  
 T 3 ille,

*Ozia.**Esaie 6.**Cap. 19.*

ille, ab Esaia visus, & ad Deum intuendum efficacissimus. Spiritus sanctus paracletus suo afflatu ignem, è carbone exilientem, ad opus perficiendum maximè idoneum reddidit. Quamobrem licèt ferreè sint nature, diuinae men gratia & potentia plenæ sunt. Ab his demonum prauis spiritus illigati enecantur. Ab his princeps mundi huius pertractus, capuus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur, hoc est, ab ijs, qui antea peccatorum laqueis constricti, soluti & liberati sunt, & mortis retibus antea circumdati, ad vitam transferunt. Hæ diuinæ hæreditatis terminos cingentes, vndiq; munientes, faciunt ne ab hostibus repugnari possint. Eadem Christianorum veterices coronantes, ab illorum hostium insidijs, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos seruant. Nam etsi à malignis hominibus pro tormentorum genere aduersus Apostolum sunt adhibitæ, tamen ad eos propellendos, quod malum aliquod inferre volunt, idonea sunt effectæ, non magis cruciantes, quàm venerandum illud Apostoli corpus vndique ferentes ac munientes. His catenis Apostolus contabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat, & tanquam regalem aliquem ornatum circumferens, animo exultabat. Has & poenæ instrumentum cognoscebat, & coronæ multæ conciliatrices existimabat. His & nunc sanctissima, omniq; ex parte incorrupta ac pura Christi sponsa Ecclesia, tanquam splendido monti

*Ecce quantum  
iam olim S.  
Ecclesia catenas  
has venerata sit.*

caureo quodam ornatu induta, veluti corona quadam ex intactis floribus contexta, decorata est, & ad dexteram sui sponsi partem distulit. Has, inquam catenas & nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur. Has reuerenter veneramur & colimus, & pro animarum emendatione habemus. His eorum sensum & membrum mouentes, illarum sanctitate implemur, & per mentis intelligentiam sancti spiritus gratiam in animos ipsos admittimus. Deceret tamen, deceret non solū catenas, quæ manus illas adstrinxerūt magnopere venerari, sed etiam indica omnia, ad quæ Apostoli mēbra accesserunt, singulatim amplecti ac renereri, & in illis singulis diē festū ac panegyrum celebrare.

Consentaneum & illud fuit eius prouidē. *Cap. 20.*

ita, & in nos benignitati, pro quibus laborauit, & quotidie certamina & pugnas subiit, propter quos catenarum pondere adstrictus fuit, & crucis mortem libenter suscepit. Consentaneum, inquam, fuit seipsum his, qui per eum Christo crediderunt, distribuere atque impartiri: & veteri quidem Romæ venerandi sui corporis depositionem ac sepulturam largiri: Huic autem regali & nouæ vrbi eorum, quæ passus est, symbola atque insignia relinquere, & sacratissimi corporis loco, suauissimarum catenarum munere urbem hanc efficerē. Quas catenas qui in eandem præclaram urbem venisse crediderit, non aberrabit, neque

*S. Petrus Roma sepultus.*

aliquid Deo & veritati contrariū crediderit  
 Verus quidem sermo & libris ipsis conscrip-  
 tus ad nos vsque peruenit, non longè ab He-  
 rodis Tetrarchæ regia Petrum Apostolum in  
 carcere, sed in propinquo quodam loco mili-  
 taribus cohortibus obseruatum. Nam illi me-  
 tuebant, ne amplius ipse ab aliquibus solueretur  
 è vinculis, & miraculum fuisse videretur.  
 Illic igitur seruabatur, vt tum propter regalis  
 palatij vicinitatem, tum ob militum custodi-  
 as & catenas, quibus ipse erat confectus, nul-  
 lam effugiendi facultatē haberet. Quoniā vero  
 multi ex ijs, qui Petri Apostoli opa Christi  
 crediderant, in regia illa erant, atque illic  
 uebant, & regis ipsius ministeria obeuntis  
 suam in Christum & eius Apostolum beneuolentiam  
 in animis occultam seruabant, cum  
 admirabili illo modo Apostoli Pet. liberatus  
 per angeli præsentiam allata est, & Apostolus  
 ipse per portam exijt, quæ ad urbem ducebat,  
 catenas illas in carcere derelictas, ipsi Herodis  
 ministri, quibus diuinæ cognitionis lumina  
 effulserat, clam susulerunt, & apud seipsum  
 velut thesaurum quendam eas conseruauerunt.  
 Quod verò à patre suo, vt dicitur, traditum, &  
 de catenis illis narratum sibi quisque accep-  
 rat, posteris suis deinceps tradebat, & tunc in  
 loco catenas illas occultas seruabat, quod &  
 Iudaica natio bello deuicta, captisq; Hiero-  
 solymis ad nihilum redacta est, & superstitio-  
 osæ idololatriæ cœcitate, & errore suble-  
 Roma

*Nota quæ ad  
 modū S. Pe-  
 tri catenæ a se  
 seruatae sint.*

Romanorū scepra ad Imperatores, qui Christi-  
 fidem sequebantur, translata sunt. Quibus *et Cōstāino-  
 Christo & Apostolorū facta omni tēpore pro-  
 sequi studētibus, hęc etiam Petri Apostoli ca-  
 lata.*  
 terna manifesta facta est, & ab illis ad urbem  
 hanc regiam translata, in Apostoli Petri sacro  
 templo iure optimo reposita est: quam ut eius  
 ipsius miraculorum effectricem, & veneran-  
 tur & amplectimur: hanc enim videntes, il-  
 lum ipsum mente inspicimus: hanc tangen-  
 tes, illum à nobis tangi existimamus. Sed quid  
 iam gladius? Neque enim hic despiciendus, *Cap. 21.  
 De gladio S.  
 Petri.*  
 quoniam & ipse Apostolica manu eductus, to-  
 tam sancti Spiritus gratiam ac diuitias illinc *Matt. 26.*  
 attraxit. Sequitur paulò post in eodem ser-  
 mone.

Hunc gladium Petrus possidens, secum & *Cap. 23. Cur  
 in predicatione afferebat, tum ut sicubi opus S. Petrus gla-  
 diū suū secum  
 esset, illo vteretur, tum vel maximè, ut ipsum  
 videns, ad magistri admonitionem memoria  
 tenendam reuocaretur, & eo modo tempus il-  
 lud, quo IESVS crucem passus est, & ea quę po-  
 stea secuta sunt, secum cogitaret, inuidiam sci-  
 licet, odium, insidias, proditionem, iniustum  
 iudicium, iniustiore mortis sententiam:  
 Crucem, sepulturam, & reliqua omnia, quę  
 homicidæ Iudæi facere ausi sunt. Hęc cū gla-  
 dium illum Apostolus videret, contemplaba-  
 tur: hęc assiduè animo reuoluebat: hęc secum  
 repetens, meditabatur, gladio ipso memori-  
 am suggerente, & ad predicationem exequen-  
 dam*

dam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio & ad omne periculum pro CHRISTO subeundum armabatur. Apostolus, & ad pericula omnia suscipienda, tum vel maximè ad sacratissimas catenas induendas, & iniquorum hominum carcerem habitandum: denique ad crucis martyrium subeundum firmior ac promptior effectus est. Quamobrem hic gladius, ut res quædam preciosa, & omninò veneranda Apostolicisq; manibus deseruiens, ac contingens, eodem honore & veneratione, quæ catenæ ipsæ in regali palatio, ubi Apostolo Petro sacrum templum erectum est, velut sacrotus quidam & cœlestis thesaurus, in intimo loco repositus seruetur, ut scimus, qui fidelibus Imperatoribus, & fidelium virorum multitudini ad sanctitatem proponi solet. Cœlestem enim gratiam confert, variarum curarum copiam suppeditat, sui cultores salubriter custodit, seq; amplectentes erigit, animas ipsorum eleuans. Quod si breuis & infirmus videretur gladius ille, non est propterea despicendus. Apostolicam enim miraculorum vim & potentiam secum continet, Nam hunc Apostolus, ut potentis Dei frameam possedit, & anticipem gladium cognouit. Sic & aliæ Apostolicæ vestes atque indumenta, multa illa quidem vilia sunt & abiecta: sed quis eorum decorem & magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inspexerit, diuina & cœlesti gratia repleta esse, & Apostolicis miraculis

*Vide antiqui  
populi deuotionem.*

*Nota hæc de  
S. Petri gladio.*

*Apostolorum  
vestes quales  
fuerunt.*



illo inferiora inueniet. Sed perinde valet, cū  
 nis hæc recordatur, ac si Apostolum inuocet.  
 Ego & carcerem ipsum, in quo Apostolus cu-  
 loditus est, omni præconio dignum censeo,  
 quippe qui omni ueneratione dignus est: di-  
 gnus enim fuit, qui tantum sanctitatis domi-  
 cilium intra se reciperet. Ego & solum illud,  
 in quo decubuit, & uinctus dormiuit, sancti-  
 tate decorum existimo, & Apostolica gratia  
 repletum.

Sed dubitat aliquis, num hæc ita se habe-  
 ant: neque hæc tanti esse credit, ut gratiam il-  
 lam, quæ in Apostolo fuit, participarint. Per-  
 suadeat huic umbra ipsa & semicinctia: quo-  
 rum illa quidem ex corporis oppositione ad  
 Solis lucem composita, & ab Apostolorum  
 principis tactu longè distans: hæc autem à Pau-  
 li corpore delata, & diuinam ex illo gratiam  
 participantia, pari & miraculorum effectrici  
 potentia repleta sunt: quodque admirabilius  
 est, per secundam participationis consecutio-  
 nem, & gratiarum translationem, sibi adhæ-  
 rentibus impartita, eandem miraculorum po-  
 tentiam, & nihilo minorem abundè suppedi-  
 cant. Considerandum igitur est, si quibus gra-  
 tia impartita est, ea talia sunt: qualis nam is  
 est, qui vim illam impartiuit? Ac si partici-  
 pantes res, talium miraculorum gratiam præ-  
 bent: quantum existimare oportet eum esse,  
 a quo hæc impertita sunt? Maius enim est i-  
 stud, per quod fit, quàm in quo efficitur: ut causa  
 maior

Cap. 24.  
 Actor. 5.  
 Actor. 19.

maior est eo, cuius est causa, cum superiorem  
& digniorem gradum contineat.

Chrystomi

observa has

Chrystomi

voces.

Si quis autem mihi daret, ut & sandalia  
& vestes, quibus ab angelo se induere iulus  
est, ipse videre possem, illa certe apertis ve-  
nis exciperem atque amplecterer, & ut coele-  
ste donum in cordis mei penetralibus conde-  
rem. Hunc igitur sacratum gladium cum sacris  
& Apostolicis catenis connectentes, Petrum  
ipsum mente inspicere nobis videmur: & ut  
traque tangentes, Apostolum à nobis tangere  
istimamus, neque vlllo modo ambigimus, eo  
quod hæc loco ab Apostolo ipso distincta  
sunt: sed & hæc, & illum mente formantes  
per fidem ipsam in vnum copulantes, illum  
videre nos credimus: atque illum cogitantes  
hæc, quæ illius fuerunt, videre nos arbitra-  
mur. Itaque non omnino ipsius gratiarum ex-  
pertes, constituti sumus. Nam etsi in veteri  
vrbe Roma diuersatur per corporis sepulch-  
ram, quam vrbs illa sortita est: non tamen à  
nobis ipsis abesse vult, quod pertinet ad illius  
gladium & catenas. Adest enim & apud nos  
qui partem hanc ut totum corpus continen-  
tes, ab eius coniunctione non separamur: sed  
cum vna eademque sit gratia, quæ per eius cor-  
pus, catenas, vestes, & gladium miracula ope-  
ratur: nemo dubitauerit, quin præsens sit in  
singulis, perfectus atque integer, & ijs, qui cum  
fide accedunt, & hæc amplectuntur, pro diu-  
no eorum desiderio atque ardore mercedem  
rent

metiatur. Hic & vnus est, & multis impertius, non imminuitur: quinetiam totus in se manens, omnem & eandem vim ostendit: & quauis eorum, quæ passus est, symbolis non in vno, sed in multis locis diuisus sit: Idem tamen est, qui in Apostolica Ecclesia prodigia & miracula ingentia perficit. Ita nihil ex ijs, quæ in summo illo Apostolo insunt, inane est, & additionis expers, nihil gloria & diuinis miraculis vacuum.

Tu verò ò Petre, Christi Ecclesiæ petra & *Cap. 26.*  
 firmamentum, summe Apostolorum vertex, *Petrus petra*  
 qui verus & ardens fuisti Christi discipulus: *Ecclesiæ.*  
 qui præter cæteros orationis libertate apud eum vltus es, viui Dei filium illum prædicando, cuius manibus regni cælorum clauis tibi traditæ sunt, vt quæ à te in terra ligata aut soluta essent, eadem ligarentur & soluerentur in cælis: qui Christum Deum & hominem fuisse *Matt. 16.*  
 clarissima voce prædicasti: qui ex circumcissione, quæ in lege præcipitur, ad præputium diuinae fidei cognitionem transtulisti: qui propter Christum omnia dereliquisti, vnum illum pro omnibus diuitijs possidere cupiens, à quo & mortis, & vitæ afferendæ potestatem accepisti, cui Deus coeleste mysterium reuelauit: qui columna quædam es è terra vsque ad cælos extensa, eos ducens, qui ad mansiones illas festinant, qui rudis & inscius artificiosam Græcorum orationem expugnasti, qui diuino spiritu loquens, & verbo tantum gentes ipsas

*Inuocat S.  
Petrum.*

ipfas in ea conuertens, quæ voluisti, acerbam  
illam crucifixionem sustinuisti, vt nulla in re  
à magistri cruciatibus distares, qui catenas has  
instar scelerati alicuius hominis pertulisti, &  
curationum fontem illas reddidisti: tu quæ-  
so, adesto hodie misertus nostri, & hoc in lo-  
co spiritu versare. Adsis huic templo miracu-  
lorum promptuario, quod sancta nominis tui  
appellatione præcipue honoratur: in quo ve-  
nerandas catenas tuas, vt thesaurum quædam,  
reponi voluisti, in quo has ipfas, vt preciosissi-  
mas res, secundas esse iudicasti, vbi catenæ  
ipsæ propositæ, & ab omnibus Christi fidem co-  
lentibus inspectæ, miraculorum derivationes  
non corporeis oculis, sed mente ipsa perco-  
ptas, abundè à te ipso petentibus suppeditant.  
His catenis nostrarum animarum vulnera, quæ-  
so, liges. His tumores & inflationes, à delictis  
illatas, refeces, & diuinis medicamentis eas  
cures. His vt scuto bonæ voluntatis, Christi  
gregem corones. His Barbaros ipsos deuota-  
as, captiuos ducas, & ciuitati te veneranti ho-  
stiles illorum exuuias conferas. Omnium ma-  
ximè pium & fidelissimum Imperatorem no-  
strum, pro telis militaribus, his catenis armis,  
munias, custodias, victorijs, trophæis coronas,  
hostibus terribilem, & subiectis benignum  
atque optabilem facias: vt pace fruentes sub  
eius regno simus, & ab eo gubernati, tranquil-  
lam & quietem vitam ducamus, veri Dei no-  
stri gloriam celebrantes, quem tu in omni re  
glori-

honorosè & magnificè celebrasti, quandoquidem conuenit omnis honor & adoratio aeterno patri, cognato filio, & eiusdem substantiæ participi spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

*Nicephorus Callistus Eccles. hist. lib. 15. cap. 3. De miraculis ad sepulchrum S. Euphemie, & oleo in urna eius mirifico & ἀλεξιφάρμακον odoreq; ad monumentum eius suauissimo.*

## CAP. XXXIII.

Nicephorus cum libr. 15. cap. 3. magnificentiam & amoenitatem basilicę in honorem S. Euphemie martyris apud *Structura basilicę* Chalcedonem erectę diligenter exposuisset, *si iuxta D. Euphemie magnifica.* mox subiungit. Ceterum quę olim semper martyristic ediderit miracula, Christianis omnibus constat. Loci namque eius per sæpe Episcopum, in somnis sese ei exhibens, aut alium etiam quempiam præclarè vitam agentem, obiter templum eius ingressum, ut miraculorum talium fructum perciperent, est cohortatus. Quod ubi in vrbe Constantinopolitana innotuit, vniuersæ eò populi turbę sunt profectę: ipse etiam Imperator, & qui sacras Ecclesiarum habenas regunt, qui que honores & magistratos alios in republica gerunt, ut quę ibi peragerentur, viderent. Atque etiam inspectantibus omnibus, Episcopus Constantinopolitanus cum sacerdotibus suis templum id, ubi martyris eius corpus repositum est, visit.

In